

opinione. Rursus, qui dicunt materiam sub forma corporeitatis productam, dicunt terram tertio die formatam seu factam: quod textum consonum non videtur, cum infra in descriptione operis tertie diei dicatur: Cōgregentur aquae in vnum locum, & appareat arida: ergo terra seu arida tūc fuit ostēsa, non facta. In Psalmo quoque habetur, Initiō tu Domine terrā fundasti: ergo fundata & facta est in principio creationis.

Pfal. ror.

R. Moses.

¶ Insuper Rabbi Moses dicit, quod Moses in exordio Genesim expressit duo elementa aperte, videlicet terrā & aquam: alia duo obsecrē, ita quod aērem designauit per spiritum, dicens, Spiritus Dei ferebatur super aquas: signum verō per tenebras, quoniam ignis in propria sphaera non lucet ad extrā, ob suā raritatem seu subtilitatem materiā. Amplius, secūndum quod recitant Lyra & Rabbi Paulus, multi alij Hebræorum Doctores sunt huius opinionis. Sed & Hugo in libris de Sacramentis, magis assentit huic positioni. Ad idem quoque allegat Thomas Magister Sētentiarum, & verum est, quod Magister in aliquibus passibus hoc sentire videtur: nihilo minus ponit & aliqua verba pro alia opinione.

Per interualla die-
rum res
creatae
sunt.

¶ Postremō, ad consentiendū expositioni eorū, qui dicūt opera creationis cōdita sex diebus, potissimē mouet me autoritas diuini & sacratissimi Dionysij, studiosissimi & illuminatissimi viri, qui fuit apostoli Pauli discipulus, alijsque apostolis notus & charus, qui in rebus difficilissimis & locis obscurissimis prophetarum, informationem petiuit ab ipsis apostolis, praesertim à beatissimo Paulo, atque ab alijs apostolicis viris, prout ipse in suis crebro voluminibus tangit: à quibus si intellexisset omnia simul distinctē producta, verisimile reor quod in suis libris hoc tetigisset: cum ergo nō tangat hoc, sed eius oppositum, vtpotē quod per interualla dierum sint facta, patet propositum. Quod autem Dionysius insinuet res factas per temporum interualla, probatur ex his, quae scribit in libro de diuinis nominibus capitulo 4. Vndē & Thomas super secundum, et in prima parte, quæstione 67. allegat Dionysium ibidem dicentem, quod lumen solis est lux illa, quam moyses in primis tribus diebus nostri temporis narrat, quanuis tunc esset informe, prout infra dicitur. Vndē elicitur, quod iuxta Dionysij mentem, etiam substantia solis facta sit prima die, quia lux solis non fuit ante substantiam eius. Parique ratione alia corpora caelestia in suis formis substantialibus facta sunt prima die. Ex

Dionys.
Acto. 17.

quibus probatur, quod ista positio de productione materiæ sub formis distinctis, quantum ad essentialia mundi partes, fuit de mēte maximi theologi Dionysij, quod potissimē me induxit ad consentiendum positioni praefata.

¶ Expositio verborum sequentium: Terra autem erat inanis & vacua, & tenebrę erāt super faciem abyssi, & spiritus Dñi ferebatur super aquas.

ART. VIII.

Licet praecedenti articulo magis approbauerim atque secutus sim eos, qui dicunt, opera sex dierum per temporum interualla esse producta, & materiam in exordio creatam sub substantialibus formis distinctis, quantum ad essentialia principaliaque partes mundi sensibilis, quae sunt corpora caelestia & quatuor elementa: nihilo minus intendo textum exponere, etiam iuxta aliorum intentionem. Itaque sequendo expositionem illam amplius approbatam, eod quod textui & antiquioribus patribus ac doctoribus sanctis consonantior videatur, sic exponenda sunt verba sequentia: [Terra autē erat inanis & vacua.] Pro eo quod hic dicitur, Terra erat inanis & vacua: alia trāslatio qua vtitur Origenes, sic continet: Terra autem erat inuisibilis & incomposita. idcirco quidam exponunt hanc iteram sic: Terra erat inanis, id est, inuisibilis corporali adspēctū, quoniam erat aquis vndique coepta, quae etiam aquae fuerunt in inferiori parte densiores seu grossiores. Et vacua, hoc est, plantis & herbis ac ceteris fructibus ex ea tunc nascituris, nōdum impleta aut decorata: quod alia litera vocat, incomposita. Vndē Iosephus refert: Sed dum terra Iosephus,

Origenes

ad adspēctum non veniret, & profunditate aquarum ac tenebris celaretur, Deus lumen fieri iussit. Hinc alij sic exponunt: Terra erat inanis & vacua, id est, elementum terrae erat adhuc infructuosum, siue inutile ac sine ornatu. Nōdum etenim apta fuit habitacioni ac vsui hominum, propter quos fuit creata. Hinc ait Strabus: Terra erat inanis & vacua, id est, inutilis, infructuosa, & incomposita. Omnia namque elementa commixta fuerant & confusa, & totum hoc aēris spatium exitit aquis plenum, nō quales nunc sunt, sed instar nebulae tenues erant. Quod si ista sunt verba Strabi, vt allegatur in Glossa, quomodo verum est quod quidam afferit, secundum Strabum & Bedam, materiam primō fuisse creatam sub communi forma corporeitatis, nō sub distinctis formis substantialibus elementorum, praesertim cum in eadem

Strabus.